Andreas

Markiewicz Stanisław: Oculus eruditorum capitum.

OCELLUS
ERUDITORUM CAPITUM
Astrææ radio circumfusus,
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMUS DOMINUS,
D. M. GUILHELMUS ANDREAS ROBERTSON,
Philosophiæ Doctor Juris Vtriusq; Licentiatus, C. M. Ecclesiarũ, Cathedralis Posnaniensis Canonicus, Collegiatæ Kielcensis Scholasticus, in Cerekiew Curatus, Sacræ Regiæ Majestatis & Sigilli Regni Secretarius.

Dum


In Alma Vniversitate Studij Generalis Cracoviẽsis,
Per Perillustrem & Admodùm Reverendum Dominum,
D. M. JOSEPHUM ADALBERTUM JODŁOWSKI,
V. J. Doctorem & Professorem, Ecclesiarũ Collegiatæ SS. Omnium Custodem, Parochialium in Igołomia & Dziekanowice Curatum, Contubernij Jagelloniani Provisorem, ac interea Facultatis Juridicæ DECANUM,
Vtriusq; Iuris DOCTOR
ritu solenni renunciaretur,

A

M. STANISŁAO MARKIEWICZ,
Philosophiæ Doctore, Tylicianæ Eloquentiæ Professore, Collega Minore, Curato in Stradow,
gratulatorio applausu
CELEBRATUS.
Anno Domini, M. DCCXV. Die X. Ianuarij.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi & Rndissimi Domini Episcopi Cracov, Ducis Severiæ, necnon Scholarũ Novodvorscianarũ Chalcographi.

In Avitum Stemma
PEILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI.



Parrhaſis Vrſa polo, tenebris vaneſcit opacis,
  Hoc Inſigne Tuum, Stemmate quando micat.
Hîc dum ſtelligeri rutilant, Capitumq; Triones,
  Clara triumphali, Te Arctus, honore vehet.
Iuris, dum jungit radios Aſtræa ſerenos,
  Lumina diffundens, Orbis OCELLVS eris.

OCELLUS
Eruditorum Capitum
Aſtrææ radio circumfuſus.

Terſiſsimarum pupillæ mentium,
in luce publica & bono communi, nunquam ſibi conniventes,
Stellæ ſunt, antequam honorum firmamento, vel ipſi Aſtrææ accedant.
Magni, in parvitate ſua Microcoſmi
quos de meliori luto finxit Titan,
ante ſplendorum ortum, ſuos Oriones habent,
Auroram Matrem, Aſtrææ præmittunt.
Erudita capita, vel ideò ſidera feriunt,
quia Olympum, ſtellato lumine æmulantur,
habentq; geminos ſub fronte Tyndaridas.
Aqvilinæ Indolis Ocelli,
vel tacente Empedocle, igneæ naturæ ſunt,
ſuumq; fulgorem publico ſplendori miſcent, dum tuentur.
In prælio cum Samnitibus,
Romanorum oculi arſiſse viſi;
etſi nondum Mundi Caput, Marte & Conſo oculatũ
Septicolli faſtigio aſſurrexit.
Alterum à Julio Sidus Octavianus,
ignea oculorum acie, in pace vincebat,
quos bello ſubigere arduum erat.
Nempè lynceum acumen,

A *ſine*

sine luminis reciprocatione, Sol non aspicit,
& pupillæ ideò in lumen intenduntur, quia sibi simili gaudent.

Hinc & Sceptrum Justiniani,
Ægyptio more Ocellos quærit, ut ex his,
emissione radiorum, imperia illustret.
Namq; Orbem radio non descripsit,
cujus lumina susceptione nonnisi specierum accenduntur.
Ophtalmiâ laborat, nec collyrio relevatur,
qui radios non habet, quos diaphano honorum infundat.

Accedis ad Astræam,
totus sidereo splendore coruscans,
jubar cultisimarum mentium,
eruditorum Capitum sidus, vel Ocelle,
Perillustris & Reverendißime Domine,
M. GVILHELME ANDREA
ROBERTSON,
Amplitudinem splendorum tuorum, spectare non licuit,
nisi Te Ocello;
qui totum admittens Phœbum, serenisimæ luci inhæres,
dum Reipublicæ negotia agis.
In pupilla animi Tui, nullos videre est,
nisi crystallinos humores:
in quibus Phœbus, mirè parelia pingit,
Astræa suam speculatur Themidem.
Vernas ubiq; flos elegantiarum,
dumq; modesto sensu, candida mens Tua splendores tegit,
hoc agit, quod mista rosis lilia, crystallo tecta.
Ex Te, suam habet politura, limam;
& cultisimum sæculum, primam gloriam.
Ipsæ Gratiæ, si quod Deorum munus formarent,
ex Te prototypon sumerent.
Seqvuntur Te certatim amores publici,

& ille

& ille nonnisi, in Te, delicium suum non amplectitur,
quem invidia obliquat.
Avita Capita Tua, Regnorum Scotiæ & Angliæ, genij sunt,
galeisq; heroicis Martiale sidus tangunt.
Tu tertium, laureis evinctum Caput, non inferius,
lineali limite Lechici Regni contentus,
gemino sidere antiquos Familiæ Tuæ Castores, Pollucesq; repræsentas.
Præivere Tibi ad Aulas Regū, & gratias, Legati ROBERTSONI,
quos Albos, spectatus erga Principes candor, nominavit:
quorum vnus, IOANNEM olim tertium
Alter, AUGUSTUM feliciter secundum,
ex mente Magnorum Principum venerati,
aureâ eloquij catenâ, dissitas Maiestates iunxerunt.
METROPOLIS CRACIA, generosi populi sedes,
dum amænitate sua, multas exteras huc traxit Familias,
etiam Tua CAPITA intulit:
ut fastigium Turrium suarum haberet.
Tum demum AQVILA ex porta trium Turrium egredi visa,
cùm Vrbs Cracia Te edidit ad soles publicos natum.
Ocellus Eruditorum,
vt quoq; Aqueum humorem haberes,
de Hippocrene Almæ Matris, tantum hausisti,
quantum aliger Pegasus, suâ excussit vngulâ.
Hoc velocior, ad exteras Nationes raperis,
cùm capacitati ingenij, Orbis Polonus non sufficeret:
Ocellumq; varietas specierum delectaret,
quæ ab exoticis Musis, formarentur.
Substitisti in Stoa Patavij:
ibi patuit, nivibus Sarmaticis, splendores ingenij non extingui.
dum Tu in ætate tenera, annosos Stagiritas vinceres,
& totus sidereum Caput esses.
Romuleos tandem petijsti colles,
vt in his speculationi Astrææ, Ocellum Tuum intenderes.
Movebas Iuris Tripodem,
ut in dubijs Legum nodis, Oraculum fieres.

 Sol

Sol in Libra effulsit,
cùm in bina Jurisutriusq; lance, Ocellum figeres.
Rostra Romana rursus, Arpinatem viderunt,
Divusq;Martyr STANISLAVS,pretiosi sanguinis trabeam, iterum induit,
Te in præsentia tot Cardinalium Purpurarum,
dulcia facundiæ conchylia, promente.
Prodijt per Te, in lucem, cum Szczepanovia Cruce,
PETRUS Sarmaticus, STANISLAUS,
in summa Pontificiarum virtutum, sede collocatus.
Tullius olim, Atticæ svadæ gloriam, in Latium transtulit:
at Tu ex Latio, in delicias Poloniæ.
Secuta reducem, æstimatio summa,
& cæpti favores,in VrbeQuirini,
ab Jllustrissimo DAVIA,
Nuntio tum Apostolico,
Nunc Eminentissimo Cardinali,
in Polonia continuabantur:
Virtutum Tuarum amplexu maximo,
ex quo nonnisi Radżivilianæ Aquilæ raptu, abstrahi poteras.
Vbi prope sigillum MagniDucatus Litvaniæ,
expeditionum curis applicitus, utilitati publicæ signabaris.
Phæbum tandem nativum respiciens,
quem pleno pectore spiras, etiam laureis imitari cupis.
sufficisti solus, ad pompam Promotionis;
multiplici virtute Tua, supplente numerum Candidatorum.
Hector olim, *instar innumeri militis unus erat;*
Tua indoles multorum, vires complexa,
militabat, usq; ad triumphum animorum.
Ibas enim, per cordium fibras, Novitas gratissima rerum.
Non desiderabantur, ad capiendos Philosophicos
splendores, plures oculi,
cùm tu Vnus, Argus potior, vel totus Ocellus esses.
Divinæ Sapientiæ, instructus cimelijs,
eminebas ex Cathedra Doctor, velut ex Libano cedrus,
ex aureo annulo, gemma.

Certa.

Certabant in Te multa decora, de primatu contendentia,
Modeſtia tamen, dirimebat litem,
modulo tegens totum, quo, ignea indoles, emicabat.
At Regina mentium Eloquentia, his cancellis teneri neſcia,
ſerenè tonabat, ex oris Tui Majeſtate,
quod ſemper Hyblæas ſpirabat ſvavitates.
Gratias locutus, in Ædibus S. ANNÆ,
pulchritudini earum, non exiguum momentum addidiſti.
D.IOANNI á Cruce in S.MICHAELIS Templo,
Angelica elogia, auxiſti.
Ab hac Cruce, converſus ad Gentilitiam POTOCIORVM,
In Conſecratione Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi Domini
POTOCII Epiſcopi protunc Culmenſis,
Nunc Varmienſis,
Novam Tiaram, gemmea Panegyri exornaſti.
Hymettio facundiæ Tuæ acumine,
penetraſti ad ſuadæ medullam, & viſcera dilectionis,
in Principe Oratorum WINKLERO,
qui maturus nectarei eloquij Neſtor,
Scivit in Te æſtimare elaborata linguæ mella.
In quo igitur ſuæ facundiæ, probabat vices,
Eidem, & Scholaſteriæ Kielcenſis inſcripſit:
vt pulvere Scholaſtico pridem decorus,
hoc titulo illuſtrior eſſes.
Svaviſsimæ donum facundiæ, ut DEO in acceptis referres,
ad ſacras exedras transtuliſti.
Rapiebat corda, dulci verborum torrente,
ex ore Tuo, profluens ambroſia,
gemmeaq; in animos auſcultantium, invehebat pretia.
Sacra Eloquentia, in cultiori apparatu, tum primùm conſiſtens,
ſeipſam mirata eſt.
Ex aurifodina ſapientiæ, prodijſti Chriſologus:
ad aurea in Te roſtra, undiq; concurrebatur;
ex quibus ſemper, theatri plauſum, referebas.
Encomia illa, quæ in Divos Tutelares, congeſsiſti,

mox à populo, in Te, cum fænore, redibant.
Ter coronata Vavelli celsitudo, gemmas tuas poposcit:
dum in ordinarium Garvascianum Ecclesiasten elegit,
quali Cathedra dignus sis, ostendit.
Hinc S. MICHAELIS in Arce Crac: Custos,
vigilem Angelis Custodiam, compensasti.
Annuit Tibi aureo suo Capite
Celsissimus Princeps,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus

D. CASIMIRUS
à Łubna
ŁVBIENSKI,
Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ,

& pretia animi Tui, approbavit, favore & gratiâ illâ,
qua optimos complecti, solenne habet.
Dumq; Te ad Beneficia, etiam per Te Beneficia, promovit.
Illustris Domus TĘGOBORSCIANA
eleganti comitate Tua, & viva virtutum impressione, inducta,
ianuam pectoris Tibi aperuit.
Pastorem enim suum Cerequensem, præ alijs, desideravit, & accepit.
Vtq; Miracula, VIRGINIS Beatissimæ Oculicensis, notares,
Te mentium Ocellum, illis Ecclesiis præfecit.
Cultissimas dotes tuas, ad suam Dactyliothecam traxit,
Alma Universitas Cracoviensis,
Cimeliarcha illo PRACZLEVIO, Sceptra tenente,
qui in ornamentum Almæ Matris, lectissimos adoptabat.
Collegio Minori incorporatus,
non capientem ingressus es Macedoniam.
Et qui maxima merebaris, à Minoribus incipere voluisti.
Ex Unanimi voto Universitatis,

colla-

collapſæ Coloniæ Poſnanięſis, in Statorē deſignatus,
ad ſuſcitandam de cineribus, cinnama collegiſti.
Convocatis Muſis, concuſſam chelym, inſtruxiſti.
Amplius theatrum meritorum, in Maiori Polonia nactus
luctam cum laboribus orſus es.
è Sacris cathedris, ſupra turres Poſnaniæ eminebas.
Siluêre cicadæ, Te philomela canente,
Cygnoq; ſuo, tacitus gaudebat VARTA.
Suffeciſti ad plauſum, multorum voce dandum felix ſtentor,
in primo Cathedræ Poſnanienſis ingreſſu,
Jlluſtriſsimi & Reverendiſsimi Domini.
D. BARTHOLOMÆI
de Czekarzewice.
TARŁO,
Epiſcopi Poſnanienſis.
ore diſerto, perorando.
Aſcia hæc Aurea, multorum decorum,
operumq; pro Eccleſia DEI, Architecta,
pro honore Almæ Vniverſitatis, & eruditorum Virorum, exaſciata,
Struxit Tibi gradus ad ſublimia.
Examinatorem Ordinarium, ſcilicet, ex animi ſenio, Catonem fecit
Admiratus Tuum in omni functione, ardorem,
& exactam, cum ſumma Activitate, amuſsim:
Sacri vel maximè eloquij Tui, abreptus fluento,
de præmio ſeriò cogitat, quod ſummum merebaris.
Canorum ſatis per Cathedras,
Canonicum Cathedralem Poſnanienſem creat.
Pyrrhus Cyneam non maiori favore, dignaretur,
quàm ille tiaratus Præſulum apex, Te proſecutus eſt.
Admovit ſuo lateri, & ſummis Diæceſanis negotijs:
a quibus Tu, Maior ſemper, velut Hercules a laboribus, redibas.
Ex parte Perauguſti Capituli Poſnanienſis,
pro Reſidente Illuſtriſsimi Præſulis, ad Comitia Regni Electus,
comitabaris, Heſperus ſolem.

Ad auſpicia Comitiorum, Prædicator deſtinatus,
præſente Maieſtate, Senatu, populoq́, Polono,
Sacro plenus entheo, boni publici amore pectora inflammaſti.
Vbi quot Auditores, tot ingenij Tui,
& eloquij admiratores, ſimul & cultores, habuiſti.
Cùm ubiq́; optimè audires,
in Auditorem Diæceſis Poſnanienſis, deſtinabaris.
Hoc munus, dum Te ſibi vendicat, aliud maius eripit;
nempe Secretarius, Sigilli Minoris, Regni.
Scilicet honorum invidia es, in quibus ingens ambitus,
in Te modeſtia ſumma.
Seqvuntur Te honores, non ut corpus Vmbra, ſed ut ſplendor ſolē,
quia à Te illuſtrior.
Vbicunq́; pedem figis, ibi & trophæum.
Quorum oculis Te infers, de eorum animis, palmas metis.
Vidit Te
Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus.
J O A N N E S
de Alten
B O C U M,
Epiſcopus Præmyslienſis,
Procancellarius Regni,
& ad munia Sigilli recenter ſibi delati,
minimè aſpirantem traxit, pulcherrimo gratiarum
& favoris vinculo,
quo etiamnum ſvaviter teneris.
Delicatè tractas gemmam Regni,
qui aurei nutûs, annularis es,
vel manus dextra Expeditionum:
quibus concinnatis, etiam Turcicam nuper Portam pulſaſti,
vt pacis templum aperiret.
Adhæret Tibi Aquila Regni, non minus quàm ſuis ceris,
cùm Te Ocellum, pupillæ ſuæ parem, in ſole publico, probet.
Datus locus Aſſeſſorialis, in Iudicijs Poſtcurialibus S. R. M.
intelligentiam Tuam, vix definitivè capit.

Themis ipſa ex eo, non plus reſponderet.
Plures tamen ſimul locos, à te occupari liquet,
cùm & ſcenam Actuum publicorum teneas,
& in ſacris exedris, ipsâ Eloquentiâ maior, appareas;
Auſcultatores ſemper, non alios habes,
niſi Præſules, & Senatores.
Divini Oracula Verbi pandebas,
dum Sacra Bipennis, novis Pontificij honoris, evincta tænijs,
triumpharet, in Conſecratione
Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini,
PETRI
de Czekárzewice
TARŁO,
EPISCOPI Claudiopolitani,
SVFFRAGANEI & Officialis Generalis Poſnanienſis,
qui gemmeo, Pontificiarum virtutum nitore, conſpicuus,
Maximas ornabit Infulas,
& ex altiori Curuli, Statorem Patriæ aget.
Hic innumeris favoribus, pectus Tuum obligavit,
os in encomia ſolvit.
Præivit illi, ſummis in Te gratijs, Anteceſſor,
vera pietatis, & Præſuleæ ſolicitudinis norma, meritorum ſacrariũ
Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus,
HIERONYMUS
WIERZBOWSKI,
EPISCOPVS Feſſenſis,
SVFFRAGANEVS & Officialis Generalis Poſnanienſis,
qui Te in tantum cordi ſuo admovit,
ut ab arcano conſiliorum, non removeret.
Pandit Tibi candidum, affectûs, & favoris ſinum,
Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus,
VALENTINUS ARCEMBERSKI,
EPISCOPVS Kijovienſis Nominatus,
ABBAS Wąchocenſis, Poſnanienſis PRÆPOSITVS,
C gran-

grande virtutum & ſapientiæ depoſitum;
Eccleſiæ DEI, Tiaratum columen,
menſurâ meritorum, Infulas ſuperans.
totum deniq; Peraugustum Capitulum Poſnanienſe,
Tibi emedullatum, velut Ocellum ſuum, in delicijs habet.
Regnas in affectu & gratia,
Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini,
STANISLAI KIERSKI,
Eccleſiæ Cathedralis Poſnanienſis DECANI,&c.
Viri meritiſſimi, & ad Infulas nati.
Tanto favorum, meritorum, votorumq; ſtipatus ſatellitio,
omnibus Cathedris plauſum indicis,
dum feliciter Themidis, ſcandis.
Poſcit iam, Tuas Stellas, Aſtræa,
his geminam lancem inſigniri volens,
à quibus, tam pulchrum lumen, Orbi Polono, diffunditur.
Purpureum Iuris Coronamentum, imminet Avitis Capitibus Tuis,
quorum tu frons, ac ingenium es,
ut ex terno numero, ſumma Tua perfectio, colligatur.
Juris Doctoratûs Laurea, virorem Ocello ſuggerit,
maioribus honorum ſplendoribus, aptans.
Proceſſu ergo fauſtiſſimo, Iuris faſtigium, aſcende,
qui æſtimationis publicæ cenſu, ſumma omnia mereris,
Magne, Virtutum & ſapientiæ ſplendore,
NEODOCTOR.
Patebunt ſummorum, Capitolia, honorum,
cùm Te ex omni Sparta, triumphus ſequatur.
Spectabis innumeros ſoles, ſereno ſplendore accenſos,
o Pupilla mentium!
priusq; invidia, ſub ſua trabe, gemet,
quàm tibi feſtucam oggeret.
Magnorum Capitum, vnus Ocellus,
Argorum gloriam vinces.